



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

Q³ si tacita.

Vide exemplum. Hiere. 18. de Anania. Et. 3. Reg. 22. de Sedechia & alijs. Sed quid si in longinquum prædixerint, ut Esaias & alij? Respondeo, Illi ipsi etiam quedam prædicunt non in longum tempus. Certum ergo signum est mentitum esse prophetam, qui certo tempore prædixit quod nõ uenit eo tempore. Sed nõ est certũ signũ si euenit qd' prædixerat propheta, ut supra dictũ ca. 13. In sola ergo doctrina & hic & illic certũ signũ habes ex uerbo dei, quẽadmodũ & Christus dicit. Ex fructibus eorũ cognoscetis eos. Videtur boni prophete in uestimẽtis ouium dũ ueniũt, sed ubi negociũ cœperint agere docent ea quæ eis non sunt præcepta, & sub noie domini incipiunt à dei iustitia corda imprudentiũ auertere. Probãdi ergo sunt spũs num à dco sint & c. De tali, præter iudiciũ q. debet interfici, quæ interfectio apud nos est excõicatio, ut supra diximus, & hoc additur, Nõ timebis eũ, etiãsi maledictiones dei oēs tibi minatus fuerit, etiãsi te excõmunicauerit, etiãsi in animo teteris talẽ maiestatem & tantã sanctitatẽ quæ apparet nõ esse contẽnẽdã & c.

CAPVT XIX.



Sta lege ciuitatũ refugij uoluit dominus consultũ innocenti homicidiæ, magis uero & alijs qui ob innocens homicidium

possent fieri ueri homicidæ & rei in conspectu dei & hominū. Et ita multiplicato homicidio, rei etiā corā deo fierent ciues & uicini qui talia non prohiberent. Atq; ut uicinorū hic conscientie esset liber. e si quid in tali casu sanguinis innoxij funderetur, hæc lex efficit seruata, nam culpam adscribit lex illi qui non fugerit ad unam urbium refugij & occisus fuerit. Deinde hæc lex manifeste declarat, non semper esse condemnationem quā homines iudicare possunt. In conspectu enim dei non est homicida qui occiderit nolens & non irato animo uel ante concepto odio, ut uideas q; deus non respicit manū, sed cor, alioqui quid interest secundū externum opus inter homicidium uoluntarium & non uoluntarium? quid inter oblationem Caim & Abel? Qui manu occidit potest adhuc corā deo esse non homicida, & qui irascitur & odit licet manu nō occidat tamen coram deo non potest non esse homicida, quia male uult fratri, licet ab hominibus secundū legem non puniatur, quia occulta iudicia deus sibi seruuauit etiā in lege. Itaq; uides & legem declarare, qd̄ dominus, Matth. 5, contra iustitiam pharisaicam interpretatur. Et Ioannes quoq; in epist. dicit, Qui odit fratrem homicida est.

ALLEGORIA. Nos alieno peccato, scilicet Adæ facti sumus exules, quod alienum quidē sed tamen proprium nobis factū est, & mors nos occupat nostra cul

pa si non fugamus ad ciuitatem refugij, id est ad promissiones dei, in quibus ut ueteres ita & nos seruamur donec moriatur summus pontifex, ut alibi lex dicit, id est Christus, tunc enim primū redire licet ad hereditatem amissam. Ad has ciuitates refugij alluditur quoties deus in psalmis & alibi appellatur refugium nostrum &c. ut illic, Deus nostrū refugium & uirtus &c. Esto mihi in deum protectorem &c.

Si quis autem odio,

Hic intus iam ante coram deo homicida, per manum foris se iudicio legis externo obnoxium quoq; facit. Lex hæc declarat, coram deo reum in conscientia nō posse iuari externo opere, aut ullo humano refugio, aut presidio.

Non assumes &c.

Infra maledictioni dei subiicitur qui transfert terminos proximi sui, id est, ut nihil ei prospere succedat domino non solum non benedicente, sed etiam maledicente. Hæc lex repetitur Prouer. 22. Vultq; ut quisq; suo utatur, & nihil cupiat cum iniuria proximi sui, quemadmodū alieno uolebant uti, qui Iudæi non contenti erant possessione agrorum, ut diuisi erant tribubus & familijs sub Iosue. Vnde increpantur Esa. 5. Va qui coniungitis domos &c. Achab ut plus possideret homicida & multarū animarum reus factus est 3. Reg. 21. Hoc solent citare contra nos pro traditionibus humanis ne transgrediamur metas quas fixerūt

nobis sancti patres, sed quis illis commisit ut figerent nobis metas? aut cur illi non fuerunt contenti terminis quos fixerat deus, prophetae, Christus, apostoli? sed his citationibus ostendunt sese nihil habere contra nos pro suo mendacio. Non stabit] supra cap. 17.

Si steterit.] Hæc lex talionis, ut uides, commendatur iudicibus qui non sine causa ordinatione dei portant gladium. Ceterum Christianus talionem exigere non debet, sed remittere &c. Matth. 5. 1. Cor. 6.

CAPVT XX.



Oc caput strenuos uult magnoque per deum animo milites, & de iure bellorum prescribit.

Si exieris.] Hic locus confortatio est fidei in omni tētatione difficili. Omnia enim sunt possibilia credenti. Hic sacerdos, id est minister uerbi dei, iubetur admonere populū fiducie in deum, hoc enim est eius officium, quod & Moyses qui sacerdos non uocatur solebat prestare. Duces uero exercitus iubentur remittere illos quorum animi aliud cogitant quā bellum, aut qui alioqui pusillo sunt animo & formidolosi. Quomodo enim stabunt pertinaciter qui uel trepidant, uel nihil aliud cogitant, quā ut euadant reuersuri ad id quod amant, ut qui edificauit nuper nouā domum, qui plantauit nouam uinē, qui despondit uxora